

REGIA UNIVERSITÀ DEGLI STUDI

DI

R O M A



ANNUARIO PER L'ANNO SCOLASTICO

1888 - 89



R O M A

TIPOGRAFIA FRATELLI PALLOTTA

1889

PRO ARTE DICENDI

DISCORSO

DEL

PROF. GIUSEPPE CUGNONI

PER LA SOLENNE INAUGURAZIONE DEGLI STUDI

dell' anno scolastico 1888-89

PRO ARTE DICENDI

Ea est, Auditores, bonarum artium societas ac paene cognatio, ut cogitatione potius illas distinguere fas sit, quam re plane et omnino secernere ac separare. Cum enim unaquaeque aut ad verum, aut ad bonum, aut ad pulchrum, tamquam ad finem suum, spectet, omnes tamen uno eodemque termino continentur: apta, scilicet, humanae vitae compositione, quae omnis ex harum trium rerum convenientia conficitur.

Ita porro nobilissimum doctrinae aedificium, disciplinarum omnium consociatione, assurgit et viget. Ac quemadmodum in machinis rotae, vectes, ceteraque instrumenta et adminicula suum sibi quaeque occultae motionis officium postulant, quin etiam, peculiari quadam ratione, non iniuria primum locum quaerunt; haud secus disciplinarum et artium unaquaeque (dum omnes simul ad humanae vitae usum perfectionemque coniurant amice), aliqua de causa, iure meritoque potiorem, praeceteris, honoris gradum affectat.

Quapropter est hoc in more positum institutoque maiorum, ut qui singulis annis, in hac sapientissimorum hominum frequentia, studiis rite auspicandis verba faciunt, doctrinam suam in lucem proferre studeant: quasi eam laudando, ceteras omnes una simul concelebrare videantur.

Itaque vos, Auditores, quae vestra est humanitas, facile concessuros esse arbitror, me orationem meam totam ad artem di-

cendi referre: non ita quidem ut eius laudes millies repetitas recinam, sed potius ut, quod maxime interest, ingenuitatem eius dignitatemque vindicem adversus nonnullos aetatis nostrae circulatores, qui, exaggerato veritatis studio, eam de suo gradu deturbare conantur.

Res est magni negotii, Auditores, quia in hac una ceterae latent caussae corruptae apud nos eloquentiae, et quia, cum ipsa eloquentia sit doctrinarum omnium et artium cumulata perfectio, nemini nostrum, quamcumque sequimur disciplinam, de incolumentate eius non est summopere curandum.

Jacobus Leopardi (commodo succurrit primo dicendi initio tanti nominis auctoritas) in carmine *Ad Ver, seu de fabulis antiquis*, poeticam naturae vim extinctam conqueritur, huiusque rei causam « aerumnam atrumque veri lumen » esse arbitratur. Atque ad aerumnam quod attinet, sane omnibus usu compertum est, vitae moerorem ac taedium ab ea derivari, et quoniam poesis vivida est, facile perspicitur cur, tetterimo eius adspectu tacta, illico funditus deleatur. Sed non idem de vero profiteri licet, quod, cum sit pulchri praecipua proprietas, imo potius fundamentum, non modo arti dicendi non obest, sed ei maximum ad agendum praebet momentum.

Attamen cum de vero generatim accepto ita se res habeat, non idem de illo, quod intra speciem facti concluditur, sentendum est. Et si enim natura, uno intuitu considerata, est complexio virtutum formarumque dissimilium, mirifice ad eam, quam deprchendimus, aequilibrii concentusque perfectionem concurrentium; nihilo tamen minus distincte in suas dissimilitudines expensa, plerumque imperfecta, persaepe etiam deformis detegitur. Atqui verum, pro hac vocis significatione, pulchro infestum, poeticam naturae vim utique evertit, atque adeo artem eius administram penitus delet.

Sed non ita existimant nimii quidam veri sectatores, in quo-

rum iudicio artis officium est non modo rerum naturam religiose describere, sed saepius quoque deformiorem effingere. Insolens sane doctrina, quae a Belgicis pictoribus primum exco-gitata, deinde a fabularum romanensium scriptoribus adserta, tandem nostra aetate a *Veristis*, quos vocant, in triumphum agitur.

Hac itaque ratione *Realismus* (sit .venia verbo) nunc in artis provincia dominatur, eoque saevius duriusque, quod, et ethicae fines incursans, probitatis quoque iura ad libitum conturbat presumdatque.

Absurda omnino novitas, cuius causam, si inquiras, facile tribues servili conditioni, ad quam, saeculo XVIII exeunte, litterae deductae fuerunt ab insulis compluribus scriptorum classicorum imitatoribus. Qui, cum a naturae studio, quae una artis origo est et magistra, discessissent, in hoc toti fuerunt, ut quidquid a probatissimis auctoribus effectum vulgatumque esset, iisdem imaginibus, figuris, lineamentis, eodem verborum ambitu ad unguem describerent. Inconsultissimi homines, qui non intelligerent, inventionis eloquique luminum, quae in praeclaris scriptoribus reperiuntur, imitationem, perutilem sane exercitationem esse ac laudabilem; sed ipsorum commenta, formas, circuitus orationis exitusque, metaphoras, ceteraque dicendi ornamenta adamussim exscripta et iterata, servitutem eloquentiae parere ac satietatem. Etenim non est unus eloquentiae vultus, et mutantur cum temporibus formae quoque et genera dicendi.

Imitatorum igitur servum pecus primo reprehensionibus censorum ansam dedit, stomachum lectoribus movit, vividioris ingenii scriptores irritavit, lacescivit, in coniurationem coniecit. Cur (hi secum reputabant) nobilissimam dicendi artem a servitute in libertatem non vindicabimus? Quod profecto praestabimus si illam a coeco imitationis studio, ad unam rigidamque naturae expressionem revocaverimus. Dictum factum, Musarum regnum labefactatum, leges sublatae, senatus consulta refixa, iura

antiquata, sursum deorsum cuncta versa, res publica funditus
deleta,

« crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago ». 1)

Sed quorsum hac tantac turbie pertinent? Anne ad Virgilianum

« Magnus ab integro seclorum nascitur ordo? ». 2)

Credo potius, Auditores, ad Horatianum

« Parturiant montes, nascetur ridicu'us mus ». 3)

Siquidem naturae obsisti non potest. Atqui contra naturam conatus huiusmodi veteratorum parantur, quod brevissime demonstrare aggredior.

Huius disputationis caput est de facultate imitandi, id est perficiendi naturae res, quam facultatem artium alumnis negatam asserunt adversarii, ego vero nulli hominum non ingenitam contendo. Cum enim arcanam vim illam animi mecum ipse considero, qua quisque studet res omnes expolire, vel saltem politiores sibi depingere; satis compertum habeo, nihil humanae naturae tam esse consentaneum, quam inexplicabilem excellentiae cupiditatem et pulchritudinis.

Quam sedulo curemus ea, quae spectant ad cultum corporis, Auditores, attendite. Domi, commodis, elegantiae, venustati studemus; rure, agros, per annum solidum, subigere non cessamus, ut inde ubiores praestantioresque fructus percipiamus. Hortos, viridaria ingenti sumptu excolimus, plantas et semina peregrina ex ultimis orbis terrarum finibus comparamus, terram

1) VIRG. *Aen.* II. 360. — 2) *Ecl.* IV. 5. — 3) *De Arte poet.* 139.

vertimus, laetificamus, semitas ducimus, areolas sepimus, arbores in quincuncem ordinamus, pergularum umbracula protendimus, admirabiles prospectus, aquarum adscensus, lapsus, fluxus, sexcentaque alia paramus. Medicinae, chymices, botanicae, mineralogiae, mechanicae, ceterarumque disciplinarum huiusmodi officia praetereo, quae omnia ad ipsam rerum naturam perficiendam, publicas privatasque utilitates pertinent.

Neque haec studia corporis commodis terminamus, sed ad ingenii quoque virtutem actionemque conferimus. Inde puerorum liberalis institutio, servorum disciplina, rei familiaris procuratio, concinna domus dispositio. Quid de iurisprudentia, de ethica, de politica, aliisque ad leges, ad mores, ad rempublicam pertinentibus disciplinis dicam? Nonne animorum naturae regendae, iuvandae et perficiendae deserviunt?

In his porro rebus, quas natura exhibet, nec nobis in melius commutare licet, fere idem opus habemus; siquidem hoc tantum interest, quod ea, quae aliter non possumus, desiderio et cogitatione perficere conamur. Huc pertinet narratio illa Tulliana de Zeuxi, qui, dum Helenae effigiem Crotoniatis pingere, formosissimas sibi virgines ad imitandas de legit: « neque enim putavit omnia, quae quaereret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse: ideo quod nihil in simplici genere, omnia ex parte perfectum natura expolivit ¹⁾ ».

Atqui ingens haec copia curarum, sollicitudinum, studiorum nonne satis declarat, naturam ad animi nostri sensum esse imperfectam, insitamque nobis facultatem esse cuncta pro arbitrio castigandi ac perficiendi? Quod quidem naturam, ut nunc se se aperit, corruptam (videlicet a prima sua dignitate declinatam) indicat, et innatam homini cupiditatem eius in pristinum statum revocandae esse demonstrat.

1) Cic. *De invent.* II. 1.

Quae cum ita sint, satis constat, bonarum artium munus et officium illud esse, ut collectis ex contemplatione naturae iis partibus, quas ipsa perfectissimas exhibit, earum delectu ac dispositione, pulchritudinem in operibus suis repraesentent, quod nisi praestent, a proposito sibi fine deflectere atque aberrare.

Duobus disputationis nostrae capitibus constitutis, scilicet insitam in animis esse virtutem ad naturae res expoliendas atque exornandas, et disciplinas omnes ex ea virtute fluxisse, eiusque esse administras; nonne satis patet adversariorum imperitia, ut qui, cum arti consulere student, vim eius omnem tollant ac deleant? Cum enim intra perangustos vulgaris descriptionis fines illam contineri volunt, humano ingenio omnem inveniendi, exornandi, perpoliendi facultatem adimunt. Artis igitur vis et officium ex adversariorum sententia, falsum atque absurdum reperitur.

Equidem sentio, Auditores. quid obiici possit. — Quid? rhyparographi, maxime Belgarum, nonne artificium hoc, quod tibi non probatur, plane sectantur? Quorum tamen grylli (ut Plinius vocat¹⁾) magnopere delectant, et pluris veneunt, quam tabulae ad tuae artis normam regulamque depictae. — Sed obiectio haec a quaestione longissime aberrat. Tota enim disputatio est non de delectatione, sed de facultate imitandi, idest perficiendi naturae res, quam facultatem vctitam artificibus adversarii asserunt, ego vero nulli homini non ingenitam contendeo. Sed urgent — Nonne ad delectationem artes liberales inventae? Sane quidem: ergo earum praestantia ex delectatione est aestimanda. — Quanta argumentatio haec fallacia laboret, dupli ratione percipitur: quod inepta, et quod ambigua. Inepta, quia a rebus ad principia saepe non plena, saepius falsa illatio est, ut in hoc genere, siquidem delectationem illam a recto iudicio proficiisci nemo unquam demonstrabit. Ambigua, cum a constanti artis munere, ad animi sen-

1) N. H. XXXV. 37.

sus mobilitatem, vocabuli *delectationis* significationem transferat, ut optime significat Aristoteles in Poetica ¹⁾.

Jam captiosae istiusmodi argumentationis fraudem et pestem, Auditores, videte. Undenam libidines illae minoribus tabellis pictae, undenam lasciva illa carmina, unde protervae illae fabulae obscenorum artificum nequissimorumque poetarum, quo genere petulantis ioci praesertim incauta inventus allicitur et delectatur? Unde, nisi ex ambiguo delectationis vocabulo? — Delectant: ergo ex arte manant. — Utique ex arte, sed ex arte inhumana, quod homines bestiarum more delectant.

Omitto cetera artis incommoda, quae ex hoc ipso fonte fluxerunt. Ut genus dicendi exsangue, iejunum, vel adipatum, ventosum; sermo pedestris, inurbanus, peregrinitate refertus; oratio disiuncta, inconcinna, nullis numeris conclusa, et alia huiusmodi a novis dicendi magistris propugnata, tamquam facilem naturae ingenuitatem referentia. Hoc unum, auctore Tacito ²⁾, moneo: « Oratio, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae, nec ossa numerantur; sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris, ipsosque nervos rubor tegit et decor commendat ».

Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam ego nostrorum temporum studia, historiae praesertim, irridere atque contemnere videar. Fateor enim id, quod docet Tullius ³⁾, « alias in historia leges observandas, alias in poemate... Quippe quum in illa ad veritatem omnia referantur, in hoc ad delectationem pleraque ». Ergo in historia morosum et anxium veritatis studium non modo laudabile, verum etiam necessarium artificium est. « Nam quis nescit primam esse historiac legem ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat ⁴⁾? » Verum enimvero,

1) Cap. IV. — 2) *De Causs. corr. Eloq.* Cap. 21. — 3) *De leg. I.* — 4) Cic. *De orat.* II. 15.

Auditores, incostantiam adversariorum attendite. Ex finibus historiae, quibus tantum apte concludenda erat, novam suam artem penitus exturbarunt, rerumque gestarum narrationes, instar dissecti cadaveris, curiosius per articulos, per nervos et ossa deducunt; ita ut frigidae, exsiccate, pallidae, sine anima ac motu, omnino emortuae videantur. Cum vero ad tragedias, ad fabulas, ad poemata ceteraque huiusmodi, quae inventionis sunt, manum admoverunt; tunc demum ad historiae iura configunt, et veritatis sectatores sese acerrimos profitentur. Hinc dramata historica, fabulas historicas, poemata historica et similia produnt: falsissima dicendi genera, ab ipsomet eorum auctore ac principe Alessandro Manzoni reprehensa. Atque haec dico, ut aequis iudicibus pateat, me doctrinam adversariorum certis quibusdam finibus circumscribere, non funditus reiicere ac repudiare.

Verum habeant sibi quidem eam artem, quam volunt, modo iura nostra intercipere ne audeant.

« pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas ». 1)

Qui hanc detrectant potestatem, ut Horatianus « faber imus » ille, qui

« et ungnes
Exprimet et molles imitabitur aere capillos » 2)

ad summum haberi possunt, nusquam inter Musarum alumnos concelebrari.

Quae cum ita se habeant, Juvenes ornatissimi (ad vos enim potissimum spectat oratio mea), vos ipsi existimate quam potius viam ex duabus hisce, ad laudem in litteris assequendam, ingredi et insistere debeatis. Quarum una, nullis illustrata vestigiis,

1) HOR, *De Arte poet.* 9. — 2) *Ibid.* 32.

in fabulatorum malorumque poetarum garrulitatem exit, aluminam licentiae, quam stulti libertatem vocant, comitem seditionum effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumacem, temerariam, arrogantem, quae in bene constitutis civitatibus toleranda non est¹⁾; altera ab optimis et veteris et recentioris aetatis scriptoribus emensa, dicit ad germanam illam bene dicendi artem, quae Graeciae praesertim Italiaeque nostrae nomen aeternitati commendavit.

1) TAC. *De corr. Eloq. causs.* Cap. 40.